POMPONII BRVNELLI
DE ECCLESIASTICA DIGNITATE AC DISCIPLINA
ORATIO:

HABITA IN SYNODO PRAENESTINA,
coram Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo Marco Antonio
Columna S. R. E. Cardinali Epiſcopo Praeneſtino,
VIII. idus Septembris, CIƆ, IƆ,
XCII.

*EIDEM ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.
Marco Antonio Columnae, Cardinali, ac Principi
ampliſſimo dicata.*



SVPERIORVM PERMISSV,

ROMAE, Apud Antonium Zannetum.
CIƆ IƆ XCII.

VAL, 583

MO

ILLVSTR· ET REVEREND·

MARCO ANTONIO COLVMNAE

S. R. E. CARD. EPISCOPO

PRAENESTINO

AC PRINCIPI AMPLISSIMO.

POMPONIVS BRVNELLVS.

QVO pudore, Cardinalis ampliſſime, haec a me habita nuper oratio in Praeneſtina Synodo a Te conuocata, & celebrata Zagaroli, in amplitudinis Tuae conſpectum, aureſque prudentiſsimas prodijt; quae Tuam reconditarum, & maximarum rerum doctrinam, ſingularem probitatem, atque virtutem non modo aſſequi ſe poſſe diffideret, ſed ne aſpicere quidem, & intueri auderet; eodem nunc in aliorum manus venire vix audet. Sed tamen, quemadmodum benignitate, auctoritate, iuſſuque Tuo fulta, ac nixa ad Te verecunda profecta eſt; ita iam obſcuritatis ſuae tenebras apud alios, Tui nominis fama, & ſplendore obrui, ac ſugari poſſe confidit; ac tanquam obſcuriſsimum globum, fulgentiſsimis Solis radijs oppoſitum, tantum ſibi lucis allatum iri non deſperat,

vt, ſi minus aliud, Tuam certe pietatem, ac religionem, qua actiones Tuas ornari perpetuo conſtat, quamplurimis imitandam proponat. Dicerem hic, quanta generis Tui amplitudine, quanta auctoritate, quanta magnitudine animi, quanta peritia rerum gerendarum floreas, quam admirabili ſapientia perfectus vndique ſis, & cumulatus; niſi viderem ea, quae volumen potius, ac virum eloquentiſsimũ deſiderarent, perexiguae pagellae, & ineruditae epiſtolae mandari, & committi recte non poſſe. Quare orare Te non deſiſtam, Princeps optime, vt quo vultu, ac fronte, ideſt benigniſsimo, ac liberaliſsimo, pro Tua conſuetudine, hanc orationem audire voluiſti, ea iam eamdem aſpicere, ac recipere pro tua facilitate ne graueris. Equidem huiuſmodi ſignificationem officij, ac ſtudij erga Te mei, quaſi quoddam teſtimonium futurum ſpero, quantum oſtendere geſtiam, quam Te colam, quam Te obſeruem, quam Te denique admirer. Atque hunc animi mei ſenſum, quem in Te leuioribus hiſce ſtudiorum meorum fructibus, declarari percupio, Tibi eſſe perſpectiſsimum immortaliter gaudebo. Vale.

POMPONII BRVNELLII
DE ECCLESIASTICA DIGNITATE, AC DISCIPLINA
ORATIO.

QVOD erat ab immortali Deo maxime precandum, Pater ampliſsime, ac religioſiſsimi auditores, & quod in primis ad inſidias a Chriſti grege repellendas, impetuſque nefarios retardandos maxime pertinebat; prudentiſsimo, & ſalutari conſilio, ac diuina beneficentia, & munere datum, atque oblatum eſſe, non alieno huius ſacrae Synodi, & Chriſtianae Reipublicae tempore, boni omnes intelligunt, ac ſibi maxime gratulantur. Quod ſi haec ſacerdotum frequentia cum toto Eccleſiae corpore habet vna fide, ſpe, caritate, iuncta membra in vnum Ieſum Chriſtum ducem, & auctorem ſalutis noſtrae, ad incolumitatem, & gloriam communem; operaepretium profecto eſt, vt in omnibus, quae communis ſalutis interſunt, ſinguli maxime conſpirent, ac ſeſe diligentius explorent atque ſcrutentur, vbinam poſsit caueri, quominus a funeſtiſsimo, ac rapaciſsimo humani generis hoſte Eccleſiae ſacroſanctae membrum aliquod miſe rabiliter laceretur, ac diſtrahatur. Et quando prouidendum eſt, vt vim illam, ac lumen caeleſte, ad propulſandas ignorationis, errorumque tenebras adhibeamus, quod nobis pater ille clementiſsimus

Deus

Deus ex Tridentino concilio, tanquam ex machina, vel arce aliqua munitiſsima oſtendit, & praebet; non ab re futurum putaui, ſi de ſacerdotis officio, ac dignitate pauca dicam, quo vitam quiſque ad certam rationis normam dirigere facilius, ac perpendere momenta officiorum omnium diligentius poſsit. Et quidem ſacerdotij praeſtantiam quis ignoret? quis non uideat, quantum excellit homo animantibus ſingulis, quantum intelligens imperito, quantum ſapiens dementi, quantum angelica intelligentia humanae rationi, & conſilio, quantum denique flagrantiſsimae illae mentes, quae Seraphin appellantur, ceteris angelis antecellunt; tantum propemodum ſacerdotio praeditum hominem non modo ceteris hominibus; ſed angelis etiam pene dicam ipſis dignitate, officijque gloria, aliqua ratione, praeſtare? Quis enim alius poſsit mirificum, ac praeſtantiſsimum Chriſti corpus, diuinitati auguſtiſsimae annexum, beatiſsimae animae ſpiritum ducens, ex humana integerrimae virginis carne, ſancti ſpiritus afflatu, conformatum, cruciatuum inſignibus, quos pro homine pertulit liberando, condecoratum, omnique gloria circumfuſum, ſpeciebus quibuſdam panis, & vini ſubuelatum, in ſuas manus traducere, ſuiſque digitis pertractare? O diuinae ſapientiae admirabilitatem ſupremam. o naturam generis humani a ſordibus, & humo ad immenſam excellentiae amplitudinem euectam. Non altiſsimo angelorum ordini tantum gloriae contigit, & ſplendoris; non ſupremo ordinum

principi,

principi, non virgini florentiſsimae, omnique laude, & gloria cumulatiſsimae Chriſti matri, quae ſupra angelorum choros ad celſiſsimam ſedem dignitatis elata, proxima filio, diuinorum munerum vberrimum fontem excipiens, in genus humanum transfundit. Poſſunt quotidie ſacerdotes, diuinam rem facientes, vnicum patris aeterni verbum, virginis filium, & diuinitate, & corpore praeclarum, habere praeſentem, attingere, alloqui, precari, deguſtare, atque ad cibum, illius carnes, & ad potum, eiuſdem ſanguinem adhibere. Felicem iterum, atque iterum, qui proximus diuinitatis flammae, diuinos in ſe igniculos concipit, ex immenſo illo incendio deflagrantes. Beatum penitus, qui ſibi aquae ſaluberrimae fontem omnino patentem videt, vnde ardores nefarij reſtinguantur. Qui fieri poterit, vt homo, cum propius abeſt a luce, a ſole, a Deo, non cernat aperte rerum veritatem, atque adeo in Deum ipſum, qui lucens veritas eſt, & lux uera, oculos non ita defigat, vt eiuſdem veritatis, luciſque radijs acies perſtricta, exinde rerum omnium ceterarum obſcuriſsimam veritatem nequeat intueri? Qui fieri poterit, vt homini, excelſo, & illuſtri veritatis loco, tanquam in altiſsima ſpecula collocato, quae procul inde proſpiciuntur, non perexigua omnia, humilia, obſcura, abiecta eſſe videantur? Quare ſi procreatoris, ac parentis Dei propriam eſſe nouimus veritatem, ac lucem, ſi cetera omnia leuitati, vanitati, mutationi ſubiecta eſſe intelligimus, neceſſe profecto eſt, vt diuinitatis radijs adiuncti,

iuncti, veritatis, conſtantiae, firmitatis participes ſimus; contra vero, rerum caducarum, & fluxarum implicati commercio, leues, ac miſeri prorſus efficiamur. Quid aliud veritas eſt, niſi perpetua conſtantia, ab omni rerum varietate, ac mutatione aliena? Deus igitur, cum ſit veritas, eſt omnium rerum effector, in ſe ipſo firmus, verus, conſtans, ab omni mutatione ſegregatus. Quod ſi cuncti homines diuini fiunt, ſi diuinos mores, & inſtituta perſequantur, in quos illud, quod cecinit vates, recte cadere poteſt; Ego dixi, *Dij eſtis, & filij excelſi omnes;* quanto magis oportet, huiuſmodi homines, quorum manibus ſe Deus committit, & credit, in diuinitatis fonte commorari, neque inde abduci caducarum rerum, & voluptatum blandis illecebris delinitos? Quae cum ita ſint, Auditores, facile patet, opinor, inconſtantia, mobilitate, leuitate nihil eſſe turpius, tum ſingulis hominibus, tum uiris ſacerdotio inſignibus, qui tam facile poſſunt ad ipſam quodam modo contendere diuinitatem. Quid vero praeclarius, quid glorioſius, quid ſalutarius, quam dignitatis tantae, quo ad eius fieri poterit, retinendae, & augendae cupiditate perpetua flagrare? Iam vero quid praeterea ſit facultatis, quid uirium, quid præſidij in tanta ſplendoris amplitudine, videamus. Quis enim Deum, patrem mitiſsimum, humani generis culpa violatum maxime placat? Sacerdos: quis maxime auertit flagitiorum ſupplicia? Sacerdos: quis a Deo rerum opifice, in primis diuinorum munerum impetrat magnitudinem?

tudinem? idem ſacerdos: idem hominem Deo gratum reddit, a culpatum ſupplicijs, & ab igne purgante in ſempiternam gloriam traducit. Quid dicam de ſumma illa poteſtate; quae a Chriſto Deo, humanae mortalitatis liberatore, ac vindice in Petrum, totius Eccleſiae caput, profecta eſt; & a Petro eiuſque ſucceſſoribus tamquam a fonte in ſacerdotes inferiores, per Epiſcopos promanat? O diuina munera, nunquam ſatis admiranda, quae per ſacerdotes ſunt a Chriſto mortalibus diſtributa. Etenim poteſtatem a ſuperioribus accipiunt inferiores, & ſuperiores a ſummo ſacerdote, & Pontifice maximo, qui in Petri ſede collocatus, Chriſti locum in terris obtinet, ac poteſtatem. Qua quidem illi accepta poteſtate quodcumque recte in terris occludere, reſerare, ligare, abſoluere uoluerint, illud idem in caelis firmum, ac ratum fore planiſsime conſtat. Et quoniam illam gubernationem, ſapientum iudicio, eſſe nouimus comprobatam, quae monarchia, hoc eſt vnius dominatu continetur; voluit quidem ſapientiſsimus rerum opifex, vt illa dignitas, quae ad rem diuinam faciendam pertinet, eſſet omnium ſacerdotum communis, ab vno tamen capite, ac fonte deriuata; in ijs vero, quae ad iudicium, caeleſte regnum, & hierarchiam (ut magni Dioniſij verbo vtar) adminiſtrandam requiruntur, vnum voluit eſſe principem, quem Chriſtus ipſe conſtituit, cum Petrum iuſsit paſcere oues ſuas, & agnos, cumque illi eodem tempore ſubiecit vniuerſos. Epiſcopis vero dedit in ſacerdotes

& alios ſibi ſubiectos poteſtatem, cum Apoſtolis ait, *Sicut miſit me pater, & ego mitto vos: accipite ſpiritum ſanctum.* & quae ſequuntur. Quocirca uti nequit ea iudicandi, ac regendi poteſtate, qui vtendi ius non accipit a ſuperiore. Tanta vero eſt in hoc regno caeleſti poteſtas, vt ab humana regnandi ratione plurimum diſtet. Facile enim conſtat, humanum regnum ab hominibus eſſe in terras inuectum, non tamen ſine Dei nutu, atque iuſſu; Moſem vero, & ſacerdotem, & Imperatorem ab vno ſupremo hominum rectore Deo, nullius rogatu attributum: a Moſe autem Dei iuſſu fratrem Aaronem ad ampliſsimum ſacerdotium delectum, vnde ducturi eſſent originem poſteri, quoad perueniretur ad Chriſtum, qui ſummus fuit & Rex, & Sacerdos; qui Apoſtolos in regno, & ſacerdotio ſummos & principes, & ſacerdotes conſtituit: quibus vnum, vt ante dixi, praefecit, Petrum ſcilicet, totius eccleſiaſtici regni fundamentum. Ecqua maior in terris poteſtas, quod maius regnum, quam id, cuius fundamenta iecit ipſe Chriſtus Deus? Quae vis, quae dignitas, quae poteſtas cum hac poſſit vlla ex parte conferri? Quare maiorum noſtrorum teſtimonio praeclaris & ſanctitatis, & ſapientiae notis inſigni, praeſtantiſsima eſt Epiſcopi, ac Sacerdotis poteſtas, atque adeo caeleſtis iure optimo dicitur; regiam vero terrenam eſſe facile conſtat. Ac primum confirmat Chryſoſtomus Epiſcopi poteſtatem tantum regiae praeſtare, quanto caelum uidemus terra ſublimius. Ambroſius vero nonne teſtatur

ſtatur, Sacerdotium regali dominatui eſſe vſque adeo anteponendum, vt ſentiat, aurum non tanto eſſe pretioſius plumbo, quanto pluris regia poteſtate cenſenda eſt Eccleſiae ſacroſanctae praefectura. Eſt Innocentij tertij ſententia, tantum caeleſtia terrenis eſſe praeponenda, quantum corpori animus antecellit. Iuſtinianus Imperator, optimeque de iure ciuili, ac de Chriſtiana Republica meritus, teſtatum reliquit, ſacerdotium imperio praeferri; quod alterum diuinis rebus, humanis alterum praeſit. Hoc loco, te Chriſte, tantorum munerum largitor, appello, cum agam de tuis in homines clariſsimis, & pulcherrimis monimentis. Tuus eſt honos, qui tuis ſacris adminiſtris habetur, tua ſunt beneficia, tuae ſunt item iniuriae, quibus illi afficiuntur: non ad eos iam pertinet honores ſibi delatos arrogare, non iniuriarum uim perſequi; ſed eorum virtutis aeterna memoria cum illis tuis praeclariſsimis factis conſecratur. In hoc illi ſtudio, & cura excubare debent, vt auocent animum a rebus humanis, vt ſuam praeſtantiam agnoſcant, vt pareant, quibus debent, vt ab ijs, qui ſibi ſubijciuntur, praeſtantiora, & magnificentiora munia repoſcant; ſi eos primum imitatione ſui erudiant, nihil contra ius appetendo, negligendis, ac reijciendis huius vitae commodis, corporiſque voluptatibus, inanis denique gloriolae radicibus euellendis. Nulla iam ſe ſe efferet inſolentia, nulla ſuperbia, nulla contumacia, ſi in rebus tum aduerſis, tum ſecundis animi aequitate, ac moderatrice rerum ſa-

pientia dirigentur, ſingula Chriſti cauſſa libentiſsime perferendo, atque omnia ſua ſtudia, totumque animum Deo optimo, & maximo penitus deuouendo, omni ſpe in illius erga nos amore, & beneficentia collocata. Iam vero non ne ſibi quiſque veſtrum perſuadet, Auditores, neruis omnibus eſſe contendendum, vt tantis in ſe beneficijs a Deo collatis non nullam grati animi ſignificationem praebeat? Quis non imitetur ampliſsimum Antiſtitem? quem vigilare videat, ac tanquam e ſpecula prouidere in poſterum, gregemque ſibi creditum recreare, cuſtodire, paſcere; non aetate iam affecta, non corporis viribus tam infirmis, ab officio reuocari; non animi magnitudinem, ac prudentiam corporis infirmitate retardari. Video viros fortes, ac ſtrenuos, & honeſtos permultos in hoc praeſtantiſsimo caetu; confido fore, vt multa ſalutaria, ipſorum conſilio, & prudentia renouentur: ex quo gaudeant ipſi quoque, ac Deo bonorum omnium auctori ſua bona omnia referant accepta, vbi fama percrebuerit, expugnari ab ipſis repentinos vitiorum impetus, & incurſus, propagari longe lateque religionem, ac pietatem; ea decerni, quae ſint omnibus, qui ipſa audiant, ſummarum incitamenta virtutum. In hunc coetum propterea conueniſtis, religioſiſsimi viri, vt (quod Tridentini concilij ſalutari decreto inſtitutum eſt) deliberetis de omnibus, quae prouideri, quae corrigi, quae ſanari queunt, idque in veſtri religioſiſsimi, ac prudentiſſimi Praeſulis conſpectu, qui, tanquam Samaritanus

ille

ille Euangelicus, ac medicus praeſtantiſsimus, adhibebit vinum, & oleum ſaucijs, hoc eſt paterna caritate atque indulgentia conſolabitur, corriget, coercebit. Quare velitis, obſecro, ex hoc praeſtantiſsimo conuentu, & ex hac ſynodo, tanquam ex amplisſima Dei, ſanctique ſpiritus officina, in qua filij Dei conueniunt, ea promere ac parare, quæ ad aeternae beatitudinis pacem conſequendam tum vobis, tum ijs, quibus praeeſſe debetis, maxime conferant. Abeat hinc, & faceſſat, qui Sathanae frater, inter Dei filios eſſe non erubeſcit. Quid eſt aliud Sathan (quod omen Deus auertat) niſi aduerſarius? Excedat, qui temere, ac turbulente alijs perniciem ſtruere ac moliri non deſiſtit: qui conſuetudinem vitioſam pleriſque in rebus, alijs obtrectandi ſibi non detrahit: qui alios in inuidiam libenter vocat: nemo ſit, qui Antiſtiti religioſiſsimo vllo modo obſiſtere; repugnare, aduerſari conetur. Etenim, cum propter ſuperbiam Lucifer, ex beatiſsimo illo ſummae Trinitatis conſeſſu, cui proxime asſidebat, Michaelis Archangeli telo confoſſus, in horridum terrarum hiatum corruerit: cum propter inobedientiam, ac blandas voluptatis, glorioſaeque illecebras Adamus, humani generis princeps, ex amoenisſimis delicijs, atque e ſummo Imperio in tantum luctum ſit, & laborem deturbatus, quantum nemo ſatis vnquam valeat deplorare: cum denique propter auaritiam Iudas, vbi Chriſti, ac diſcipulorum conciliationem, & conſociationem diſſoluiſſet, ac neglexiſſet; collum

in laqueum inſerens, inutiles, ac temerarias poenas dederit; iam ſibi quiſque proſpiciat, conſilia capiat profutura, a recto veritatis tramite ne abducatur. Caueamus omnes per Deum immortalem, ne blanda aequitatis ſimulatione fallamur, ne ſpe breuiſsimae, ac fallacisſimae, quamuis praeſentis pacis, ac tranquillitatis opinione decepti, ſempiterna gaudia, ac perpetuam pacem amittamus. Quin potius omnes erecti, excitati, parati animis eſſe iam debemus, quominus officium noſtrum vlla ex parte deſideretur. Quorſum autem hoc totum ſpectat officium? omnia fecerimus, oportet, quae denuntiantur, quae debemus: quae tandem? Proles Eccleſiae ſacroſanctae, quibus diuinitus eſt commendata, virtute myſteriorum ſuſtentanda eſt, recens pro viribus quotidie procreanda, ad vitam in terris caeleſtem traducendam optimis inſtitutis, praeceptiſque diuinae philoſophiae informanda; animi praeſidijs, vbi corporis praeſidia praeberi non poſſunt, regenda, tuenda, gubernanda, vt ſuum quiſque munus obire ne recuſet. Quam laetum, iucundum, honeſtum, ſalutarem ſibi tandem in exitu vitae quiſque illuxiſſe diem videbit, qui ad ſe accedentes de plebe modeſte, ac religioſe fuerit allocutus, triſtes mitisſime conſolatus, periclitantibus opitulatus? qui ſubuenerit egenti, docuerit imperitum, admonuerit errantem, peccantem correxerit, roganti benigne reſponderit? Quanto ſempiternae gloriae ſplendore circumfundetur, qui miſerorum dubitationes euellerit, fal-

ſas

-ıas opiniones deleuerit, disſidia, controuerſias, diſſenſiones, acerbitates domeſticas diremerit, ac ſedarit; omne odium, amicitiae venenum expulerit; amicitiam, & caritatem conciliarit; bona omnia amplificanda, & tuenda ſibi eſſe cenſuerit; quidquid malorum ſementis tum in ſe, tum in alijs factum fuerit, radicitus extirparit? Quam glorioſum, quam laudabile erit ad memoriae immortalitatem, veris, ſolidiſque triumphis plenisſimam, conſuluiſſe tum publicae felicitati, tum ſingulorum ſaluti; atque communi rei, & cauſſae omni conſilio, omni ſtudio, omni denique labore proſpexiſſe? ſanae doctrinae qui obloquuntur, arguiſſe? eorum audaciam, qui honeſtas, piaſque domos euertunt, compresſiſſe? Quibus praemijs cumulabuntur, qui Chriſti euangelium promulgarint, qui ſibi ſubiectum populum vrgendum, obſecrandum, increpandum, obiurgandum, caſtigandum putarint, qui boni denique, fideliſque Eccleſiae orthodoxae miniſtri munus expleuerint? Quamobrem reſipiſcamus tandem, ſi qua in re officio noſtro, atque adeo nobis ipſi defuimus; vitae, morumque emendationem amplectamur: incumbamus toto pectore, totoque animo ad optima inſtituta conſeruanda; ad ea, quae violata ſunt, expianda & corrigenda; vt ſtatus Praeneſtinae dioeceſis in dignitatem amplisſimam reuocetur. Non eſt, non eſt verendum vobis, viri religioſisſimi, ne non posſitis praeſtare vos ardentes, & erectos ad immenſam illam dignitatis amplitudinem, a nobis ali-

qua

qua ex parte adumbratam, aſſequendam; cum in ve ſtris animis illa notis ampliſsimis reſideat inſignita; ſi tamen vobis de illius pulchritudine, & ornamentis, vt ſpero, cogitandum putetis. Quod ſi effeceritis, nullum erit profecto periculum, ne vobis excidat; & elabatur poteſtas illa ſingularis, & eximia, quae diuinitus a Pontifice maximo in vnumquemque veſtrum, qui acceperit a ſuperiore, deriuatur; vbi intellexeritis, altisſimis illam defixam eſſe radicibus; neque vobis inuitis, vlla vi labefactari poſſe, nunquam dimoueri loco. Hac poteſtate maiores illi principes Chriſtianae Reipublicae omnes prouincias, potentisſimos reges, bellicoſisſimas gentes in ditionem Chriſtiani imperij redegerunt. Hac poteſtate ſanctisſimi viri, maximo conſenſu, & concordia conſociati, quamuis ſupplicijs, & ignominijs perituri, propulſabant crudelitatem mortis, & dedecus: gloriam vero nullo tempore intermorituram, Chriſtiani generis, ſeminiſque propriam, omnibus alijs rebus falſis, incertis, caducis, mobilibus ſpretis, ac neglectis, perpetuo, vereque victuri conſequebantur. Nouum certamen vobis erit, cum ſcelerato, ac nefario humani generis hoſte, cui nullus iucundior ludus, quam cruor, quam caedes, quam trucidatio, quam interitus hominum propoſitus. nam a uobis haec immanis, tetraque bellua, in foueam vbi iam ſemel proſtrata, ac profligata inciderit, facillime obruetur: & retorquebit illa quidem perſaepe oculos ad vos, opinor, identidem; quos ſibi e faucibus ereptos

ptos eſſe lugebit, non tamen poterit arcem, in qua iam eſtis, expugnare, non veſtras opes exhaurire, non dilapidare veſtra bona. quin hunc potius vos crudeliſsimum hoſtem, auctoritate, ſtudio, virtute, Deo bene iuuante, frangetis. Ex quo tantum illi doloris inuretis, quantum laetitiae viris veſtri ſtudioſiſsimis, atque in primis religioſiſsimo Antiſtiti veſtro, patrique amantiſsimo adferetis: cuius profecto voluntati, ac ſtudijs obtemperare, & obſequi debemus vniuerſi; non modo quod ſit Praeneſtinus Epiſcopus optimus, idemque ex Columnenſi familia Cardinalis ampliſsimus: non modo quod proprium, ac germanum, & paene dicam, perpetuum ſit Praeneſtinae dioeceſi libentiſsimis animis Columnenſi familiae parere; verum etiam quod illum pro ſua pietate, ac religione ſummum Romanae Eccleſiae decus, Vrbis columen ſingulare, aeternum ſedis Apoſtolicae ornamentum, & eſſe ſapientum virorum iudicio conſtat, & fore perpetuo iure optimo ſperatur: poſtremo, quod ſua conſilia, & ſtudia referat ad impietatem tollendam, ad eccleſiaſticam dignitatem tuendam, atque amplificandam. Ille igitur, cum in vobis pietatem non fictam, vereque, ac libenter Chriſto addictam ſine vllius priuati commodi cogitatione voluntatem perſpexerit, Deo immortali, ac rerum omnium auctori acceptam referet veſtram bonorumque omnium ſalutem; & quem ſui laboris expetit fructum, in ſummis aeternae beatitudinis bonis perfruendis collocabit. Vtinam

nam & illius, & veſter conſenſus ad auctoritatem, maieſtatemque Eccleſiae tuendam, propagandamque, vt ſpero, & opto, conſpiret. Hinc enim ad innumerabilia in nos praepotentis Dei beneficia maximus in terris cumulus accedet, atque in beatorum concilium nobis aliquando cooptatis, exoptatiſſimam ſempiternae vitae felicitatem diuina beneficentia largietur.

D I X I.